

Et quatenus negative ad utrumque ;

2. Utrum et quomodo procedendum sit ut defectus ille subsanetur, dato quod sic ordinati, qui fuerunt duo, adhuc superstites sunt ?

Fer. IV, die 6 Julii 1898.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab EE. ac RRmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus, propositis praefatis dubiis ac diligenter expensis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EEmi et RRmi Patres rescribendum mandarunt :

Attentis expositis, Sacerdotes de quibus agitur, iterum ordinentur ex integro sub conditione et secreto, quo cumque die, facto verbo cum SSmo ut suppleat etiam de Thesauro Ecclesiae pro missis a sacerdotibus celebratis.

Subsequenti vero Fer. VI die 8 ejusdem mensis Julii 1898, in solita audientia R. P. D. Adssessori impertita, facta de his omnibus SSmo Dno Nro Leoni Div. Prov. Pp. XIII relatione, SSmus resolutionem EEmorum Patrum adprobavit et gratiam concessit.

1. Can. MANCINI, *S. R. et U. inquis. Not.*

II

Valida fuit ordinatio presb. in qua Epus ad secundam impositionem non habuit manus extensas super ordinandos, sed illas secreto solus extensas habuit postquam stolam ante pectus ordinandorum aptavit.

Beatissime Pater,

Episcopus N. N. in ordinatione Presbyterorum utramque manum super caput cuiuslibet ordinandi posuit, quod et presbyteri assistentes fecerunt. Dum autem legeret orationem seu exortationem Oremus Frates Charissimi etc. ex inadvertentia neque ipse neque presbyteri assistentes manus extensas super omnes ordinandos habuerunt. Sacram functionem postea